tum etiam sententiam proferendo adversus impios. Vocat, autem, David istam vocem vocem Christi, vel quia ab ipsomet proferenda est, ut videtur dici apud *Joannem*, capite v: *Veniet hora, in qua qui in monumento sunt audient vocem Filii Dei;* vel, certe, quia ex Christi persona atque ipso jubente, ab Angelo proferenda est, ut videtur significare divus Paulus loco citato superius. Caeterum, mortuis ad vitam revocatis et judicio consummato, quid aliud restat, nisi ut Sancti obtineant regnum aeternum in vita beatissima, Deo illis largiente immensa et plurima bona? Igitur, ad hanc rem significandam et declarandam pertinent ea, quae sequuntur in psalmo usque ad finem, scilicet:

SUPER ISRAEL MAGNIFICENTIA EJUS, ET VIRTUS EJUS IN NUBIBUS.

36.—Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae, benedictus Deus.

Id est, postquam dabit Christus virtutem voci suae, mortuos excitando et impios condemnando, tunc SUPER ISRAEL, id est, super electos MAGNIFICENTIA EJUS APPAREBIT; ET SUPER NUBES, id est, super Sanctos, qui nubes saepe in S. Scriptura vocantur, manifestabitur VIRTUS EJUS, et erit MIRABILIS DEUS IN SANCTIS SUIS. Et, sine dubio, vere MIRABILIS erit Deus illo die, quia tunc revelabitur gloria filiorum Dei, et Deus erit *omnia in omnibus*, et afficiet sanctos bonis, quae *nec oculus vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascenderunt*, quorum participes nos faciat Deus. Amen.

IN ECCLESIASTEM

IN ECCLESIASTEM

PROOEMIUM

Quamvis exemplaria omnia, quae nobis consulere licuit, imperfectum contineant Commentarium Luysii Legionensis in Ecclesiastem, fortasse illud inter expositiones numerari debeat, quas, morte praereptus, ad proxime edendum Magister doctissimus paratas reliquit. Cum, enim, ita inter se varient exemplaria illa, ut doctrinam tantum communem retinere videantur, caeterum quoad dicendi modum passim dissentientia, aequam conjecturam eum facere judicamus, qui opinetur exemplarium alia primaevam Luysii expositionem, alia vero eam ipsam, expolitam tamen ac multiplicibus correctionibus in melius commutatam, continere. Idque probabilius certe censebitur, si agendi ratio expendatur, quam Luysius insequutus dicitur in propriis operibus edendis: cultae namque dictionis studiosus, lectorum profectui inserviendi maxime cupidus, suipsius ac suarum rerum tum humilis aestimator, tum etiam strictus judex, vix adduci poterat ad scripta aliqua edenda, quin prius ea relegeret ac pro ejus more iterum ac saepius castigaret.

Hinc, nostro quidem judicio, prodit tum varia exemplarium lectio, tum dispar eorumdem valor. Nam licet omnia genuinam Luysii doctrinam continere videantur, et ejus sententiam non tam corruptam quam ab ipso varie expositam sine dubio contineant, certum tamen est non omnia eamdem habere aestimationis vim, sed alia antiquitate, correctione alia et dictionis forma, praecipue eminere. Antiquitate caeteris abs dubio praestat exemplar contentum tomo supra descripto sub littera A, cum iis characteribus notetur exemplar istud, quibus ab studentibus ex Luysii auditione transcriptae lecturae insigniri solent: eadem, scilicet, scripturae forma, eodem orationis stylo, iisdem denique notis ac animadversionibus, quas scribae in suis exemplaribus interserere, ut sui veluti memoriam relinquerent, studebant. Igitur, nulli dubium esse debet commentarium Luysii in hoc Ms. ea forma contineri, qua Luysius primo id scripsit suisque auditoribus tradidit.

Cum quo exemplari plerumque convenit exemplar aliud, quod invenitur tomo G, Matriti in Bibliotheca Nationali asservato sub signo B.-153; nam lectio varia, quae hinc inde reperitur, nec frequens est, nec ejus momenti, ut scribarum negligentiae tribui nequeat. At exemplar istud certe illo est posterius, transcriptum scilicet circa annum 1637, ut ex ipso titulo constat, opera P. Ajofrin, qui in communem sui conventus utilitatem id exemplar confecisse testatur. Expositio, ergo, in eo contenta, quoad dicendi in genere modum, non differre a primaevo commentario arbitramur, quod Luysius in studentium usum redegit, sed illud potius continere paucis ac parvi momenti inmutatum differentiis.

Tertium, vero, exemplar continetur tomo D, superius etiam descripto. Prima hujus exemplaris origo et antiquitas nobis dubia videntur, qui ex litterarum tantum charactere, argumento non satis firmo, hanc rem plane definire minime audemus: id tamen asseri posse videtur, posterius esse

exemplari *A*, primo loco a nobis descripto, alterum, vero, antiquitate forsitan antecellere. Quod si utrisque posterius fuerit, abs dubio illa stili correctione orationisque amplitudine longe superat, et ab illis differt uti edita Luysii opera a primaevo eorum conceptu differre solent. Caeterum, sententiarum ac doctrinae cum aliis exemplaribus communitatem pro argumento authenticitatis secum satis fert. Et, certe, servata semper conceptuum conformitate, ea est istius exemplaris a caeteris discrepantia, qualem non nisi auctor inducere auderet aut etiam posset. Cum, praeterea, ejus oratio Luysii stilum manifeste redoleat ac Magistro Legionensi ab scriba expositio tribuatur, dubitandi ratio probata nulla est, qua expositionem in eo contentam uti spuriam rejiciamus.

Praeter numerata hucusque exemplaria, sunt et alia confecta cura PP. Augustinianorum Matritensium, qui id commentarium accurate proferendi studiosi, duplicem ejusdem transcriptionem peregerunt, aliam alia correctiorem, hujusque commentarii hispanam quamdam versionem, quae Luysio ipsi tribuitur, describere insuper curarunt. In expositionem latinam transcribendo, exemplar tomi *D*, uti correctius, sunt quidem sequuti, exceptis aliquot versibus capitis IX, a secundo ad duodecimum scilicet, quos, deficiente isto exemplari, ex illo alio contento in codice *A*, ut ipsi animadvertunt, desumpsere. Quod, vero, ad hispanam hujus commentarii versionem attinet, eam ex quodam Ms. Gades in Bibliotheca nostri conventus tunc temporis asservato transtulisse testatur P. Mendez, cujus Ms. notitia non amplius exstat; ex qua praefatorum Patrum transcriptione aliam et nos fieri curavimus, ad cujus exemplar sub titulo: *Perfectus concionator (El perfecto Predicador)* hispana illa versio in ephemeride, vulgo: *Revista Agustiniana*, nunc: *La Ciudad de Dios*, edita est et brevi postea opusculo collecta.

Dolendum est tamen in nullo istorum exemplarium ex-

positionem Luysii in Ecclesiastem integre contineri. Fortasse neque ipsi auctori eam ad finem perducere licuit; nam cum ejus lectionem, cursu labente, interrumpere debuerit, verosimile est eamdem Luysium imperfectam reliquisse nec aliam commentarium instaurandi occasionem ei datam postea fuisse, nisi cum illud relegit idque juris publici facere constituit, qua tamen occasione incertum est an illud compleverit, vel ejus tantum partem studentibus lectam castigaverit. Caeterum, quos codices ad nostram editionem perficiendam congessimus, etsi alii aliis ampliores, hoc Luysii Commentarium, uti diximus, imperfectum omnes continent. In Ms. *D* ad versum II capitis IX expositio tantum pertingit, frequentioribus insuper in hujus IX capitis versibus quam in caeteris interrupta lacunis stiloque incorrectiori redacta. Codex *A* aliquanto amplius id commentarium comprehendit, protractum scilicet ad versum XII capitis IX, quo loco scriba, rei sane testis, Luysium illud reliquisse ac pro Luysio P. Didacum a Tapia, Augustinianum, idem prosequutum fuisse asseverat. In codice denique Bibliothecae Nationalis expositio capita IX et X etiam integra complectitur, nulla circa lecturae interruptionem animadversione facta; at vero, cum in iis ipsis locis a textu codicis *A* raro aut vix differat, quod illa capita amplius continent, a versu scilicet XII capitis IX, non Luysio, sed P. Tapia, qui Luysii vices egit, adscribi nostro quidem judicio debebat.

Ex his, igitur, patebit quae nostra in ista expositione edenda agendi fuerit ratio. Lecto, enim, pro exemplari codice *D*, qui caeteris correctior nobis videbatur, totam fere expositionem ex eo desumpsimus, ad versum nimirum II capitis IX, quo versu codici finis imponitur: caetera, vero, a versu II ad XII usque ejusdem capitis ex codice *A* transcripsimus, qui hos versus a Mag. Legionensi expositos aliosque a P. Tapia enucleatos amplius continet. At fragmentum lecturae, pro Luysio a P. Tapia habitae, in appendicem hujus tomi rejecimus, utpote a Luysii scriptis alienum. Denique, tam textus graecos quam hebraicos suppleri fecimus, ubi eos auctor citare intendebat, quibus versionem latinam addere noluimus, ut PP. Matritenses faciunt, ne Commentarium alia ratione ederetur, qua Luysius illud scripsit et excudere meditabatur.

IN ECCLESIASTEM [1]

OPERIS ARGUMENTUM

I.—Verba Ecclesiastae filii David, regis Jerusalem.

Haec ἐπιγραφή et scriptionis genus exponit, et qui fuerit hujus libri auctor declarat. Genus sunt, conciones, populis erudiendis aptae; idque significant illa: VERBA ECCLESIASTAE, id est, concionatoris. Nam Ἐκκλησιαστής graece, concionator est latine; id, autem, hebraice dicitur: קֹהֶלֶת *(coheleth)*, nomen a congregando deductum, propterea quod *coheleth* concionem doceat, id est, hominum multitudinem in unum congregatam. Sed auctorem haec declarant: FILII DAVID, REGIS JERUSALEM; nam ex eo intelligimus, hunc librum a Salomone esse conscriptum. Quod si quis roget, quare circuitione celarit suum nomen in hoc libro,

(1) In codice *D: Fr. Luysii Legionensis, Augustiniani, Theologiae Doctoris et Divinorum librorum primi apud Salmanticenses interpretis in Ecclesiastem Salomonis Explanatio.* Codex *A: Incipit liber Ecclesiastes, explicandus a sapientissimo magistro Leone. 1580.* Codex Bibliothecae Nationalis: *Expositio in Ecclesiastem a doctissimo magro. fratre Ludovico de Leon, Aug.no monacho, Sacrarum litterar. interprete in inclita salmanticensi Academia. 1579.*